Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

Orationes in Marchio-Badensis Societate Latina ab ordinariis h. soc. solidalibus habitare - Cod. Karlsruhe 3420,2

Hebel, Johann Peter

[Karlsruhe], 1772-1776

[Hunolstein, Friedrich L. B. von]: Societatem latinam marchicam salutavit, 10. Juli 1776

urn:nbn:de:bsz:31-99834

Visual Library

Societatem

Latinam Marchicam

Salutavit.

Fr. L. B. de Hunolstein.

XXVII

XX Julii ~~sub~~

Ano

1776. — 2826 gabet

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Inter cætera pulcherrima

& maxima dona, quæ numini accepta mor=
tales referunt, princeps est oratio. Cujus
præstantiam et amplitudinem quum intueor,
confitendum mihi esse video, omnem fere vim
humanitatis decusq; hac sola contineri.
Neq; enim hæc si abesset, ipsum hominem sui
similem, neq; cæterorum, quæ ei bona concessa
sunt, ullum fructum esse futurum, manifestum
est; adeo ut aut ea data, reliquas etiam fa=
cultates dari necesse esset, aut cæteræ pa=
riter negandæ fuissent, si illa negaretur.
Quod si enim ratio, quidquid in homine mag=
num et insigne deprehenditur, superat, ac ne
ipsa quidem utilitatem aut commodum homini

adferret, nisi adjuncta demum oratione collus-
traretur; nihil praestabilius ea omnino judica-
bitur. Ratio autem ad colligendis rebus claroq;
percipiendis est idonea, atq; cogitandi ordo,
nexus veritatum, et cujus libet generis scientia,
imprimis illinc proficiscitur. Itaq; non quicquam
horum sine usu sermonis assequi licet. Quoad nimi-
rum res sensibus subjectas confuse tantum per-
cipimus, & quae in illis continentur uno velut indis-
creto intuitu complectimur, nulla erit omnino
illarum distincta intellectio. Hanc ut consequa-
mur, ante omnia distinctae rerum notiones menti-
bus nostris informandae sunt quod ipsum vero
effici non potest, nisi dum singulas cujusq; rei
notas ~~abstrahimus~~ abstrahimus, suis quamq; pro-
priis verbis designamus, id quod experientia abunde
confirmat.

Confirmat. Qua propter, qui sermonis expers est,
neque signa rerum qualitatibus ~~convenienter~~ conveni=
entia perspecta habet, necesse erit, omni eum di-
stincta cognitione eum carere. Argumento potest
esse infantia. Nam si paullo attentius
contemplamur, quemadmodum paullatim
infans ad usum rationis emergat, liquido ap=
parebit, procedente demum eloquendi facul-
tatem, mentem explicare, ~~mentem eique~~ ~~fere mentem ingreditur,~~
~~eam~~ Ex unoquoque scilicet nomine quale infans
addiscit, nova aliqua idea mentem ingreditur,
earumque aggregatione et comprehensione efficitur,
ut, collatis rebus invicem et comparatis, quid in illis
congruum sit aut discrepans, quae cohaereant inter
se vel sibi repugnent, quid cuique respondeat, et
ex quoque sequatur, quae propter se ponantur invicem
tollanturve, pervestigare et aliud ex alio eruere valeat,

sicque

ſicq; ad juſtam ratiocinationem inſtruitur; adeo quidquid cadit in hominem ſoliti doctrinæ atq; ſcientiæ et altioris indaginis, per totum ab oratione oriri dicamus neceſſe eſt. Itaq; ex apparatu linguæ dicendiq; copia, quantum quiſq; in rerum perfectione profecerit, veriſſime judicari poterit, et ut quiſq; in eloquendo promptior fuerit, ita quoq; intelligendis rebus aptiorem eſſe haud obſcure perſpicitur. Quod quidem hactenus demonſtratum eſt, rationem excolli ornariq; non poſſe, niſi ſermonis opera acceſſerit, id eo quoq; valet, ut omne lumen illius ab oratione ducendum ſit. Videlicet, ut ut veriſſime, quis de rebus cogitaverit, et excellentes doctrinæ theſaurum intra mentem collectum teneat, ſi eloquens non fuerit, neq; in medium proferre poſſit ſcientiæ fructus, eunq; aliis communicare parum proficiet, ſed dignitas demum et ſplendor atq; decus ab oratione conciliabitur.

Quæ

Quae quando certissima usque ita comperta sunt, nihil in rebus humanis amplius oratione, aut divinius haberi confiteamur. Ac si possit etiam intelligentia rerum superesse in homine, vel rationis usus sine oratione, dubito, an ob id ipsum homo, quod ratione uti liceret, miserior tum putandus foret. Namque est sane miserrimum, quae animo exagites & quocunque modo comprehendas, ob dicendi inopiam promere non posse, quod exemplo eorum videre licet, qui, quum sensa cogitataque ad aliorum notitiam perferre maxime cupiant, verbis quibus id facile fiat, destituti, perturbationem animi et anxietatem prae se ferunt, ac ipsi sibi succensent. Idcirco insigni numinis beneficio effectum est, ut rationis comes esset oratio, et altera ex altera multo splendidius illustraretur. Jamque si porro consideremus quam infinita ab oratione commoda in vitam humanam proveniant, quamque ea fere sola, velut

Comuni

Connexi ergo arctissimo vinculo, societas hominum
contineatur, nullo plane commercio inter illos super fu-
turo, si sermonis usus abesset, perspicuum est omnem perpe-
felicitatem illuc potissimum referre oportere. Qualis
enim hoc vita hominum esset futura, facile est arbi-
trari, quae nullam consuetudinem inter illos relinquit,
mutua, quibus invicem egent auxilia excludit, nec quic-
quam consilio aut opera, hominem ab homine sibi pa-
rare patitur. Ex quo luculenter efficitur, maxima
et amplissima bona, ac totius vitae suavitatem et
commoditatem interventu fere usuque orationis, nobis
contingere. Haec mecum agitans summo jure, reginam
rerum, orationem appellari censeo, nec in ullius rei, jus-
tius, aut dignius vires dicendi collocari, quam ipsius
orationis praedicatione. Verum ego longior sim pro-
fectos, si pro nunc propositi ratio tulerit, si, quae ad
hunc locum amplificandum ~~pertinent~~ pertinent
cuncta mea animum induxerim. Verum aliud

mihi

mihi restare video. Quanto enim nobilior excellen-
tiorque est oratio, tanto ardentius me ei incumbere
fas est, ut, quoad ejus fieri potest, perficiantur
et poliantur. Cujus rei, ego nunc, T. H. B. impri-
mis Director Gravissime, favore, ac Ves-
tra, Socii ornatissimi, amicitia satis amplam
mihi oblatam esse occasionem summa cum volupta-
te intelligo. Quo circa data jam dicendi potes-
tate, Antiquissimam habeo, gratias vobis de-
bitas easque maximas persolvere. Neque vero
rectius me unquam persoluturum arbitror, quam
si auxilio vestro et consuetudine exoptatissima
adjutus, ex hoc instituto vestro fructus, quam dili-
gentissime cepero. Ego vero, quantum in me erit,
vires meas in hoc intendam ut, in rebus meis consulen-
neque beneficii vestri memoriam unquam omittere
existimer.